

INSTITUTIONUM  
CANONICARUM  
LIBRI TRES

AD USUM SEMINARII NEAPOLITANI:

AUCTORE  
JULIO LAURENTIO SELVAGIO  
PRESBYTERO NEAPOLITANO,

*In eodem Seminario Juris utriusque Lectore.*

QUAS DISCIPLINÆ, LEGIBUS, ET CONSUECUDINIBUS HISPANIÆ  
ADCOMMODARUNT

*Theologiæ, ac Juris utriusque DD. SYLVESTER PUEÑO,  
MATTHÆUS GIL DE SOLA THENORIO, et Licent. FRANCISCUS  
XAVERIUS INÍGUEZ, ANTONIUS ALOYSIUS GUAZO  
ET MIRANDA.*

Editio nova Matritensis ceteris revera correctior.

TOMUS I. LIBER I.



MDCCLXXXIV.

---

Apud PLACIDUM BARCO LOPEZ in via de la CRUZ.

---

*SUPERIORUM PERMISSU.*

# LECTORI

*In Institutionibus Canonicis Julii Laurentii Selvagii, quas eruditi omnes, Hispani præsertim, adcommodatissimas adolescentibus Juri Canonico imbuendis habuerunt; id unum desiderari videbatur, quod Ecclesiastica doctrina Legibus, moribus, et Conciliis Hispaniæ locupletata confirmaretur; non alia prorsus ratione, quam qua Selvagijs, uti Neapolitanus, Neapolitanorum Synodorum Canonibus, Legibus, Pragmaticis, ac consuetudinibus ejusdem Regni illam roboravit. Hanc ergo Provinciam ultrò nos, et libentissime in gratiam Juventutis Hispanæ adgressi sumus, quod quam statim universæ pæne Nationi innotuisset, scimus non solum consilium nostrum summo opere fuisse laudatum, sed et anxie à Viris studiosis exoptatum, ut quantocius labores nostri publicam lucem aspicerent. Quo sane*



# DE JURIS CANONICI ORTU, ET INCREMENTO.

---

## DIATRIBA ISAGOGICA.

I. **Q**uemadmodum fluminis cujuscunque inundantes aquas longo in cursu dirigere, et ad libellam componere, iis tantummodo datum est, qui fontes, occultasque scatebras, unde in flumina rivulus excrescit, liquido pernoscunt; ita prorsus rectam Juris Canonici intelligentiam habere, ejusque callere auctoritatem, is tantum poterit, qui partes omnes, quibus idem jus constat, et tempora, quibus eadem partes vel in unum coaluerunt, vel nova in dies sumserunt incrementa, vel quandam quasi rubiginem contraxerunt, vel denique ad pristinum pervenere nitorem, oculis veluti in tabula explicata subjiciet. Idcirco mihi Juris ejusdem elementa tradituro illud præcipuum videtur, ipso in limine subsistere aliquantulum, et Canonici Juris universi fontes omnes, ac recessus intento veluti digito præmonstrare, ut scaturientes ab initio, ac subinde decurrentes aquas Canonice disciplinae diligenter haurire, et puras à lutulentis, fluvios à torrentibus discernere facillime quisque possit.

II. Ut autem institutum hoc nostrum ordine exigatur, et in brevitate claritas fulgeat, integram Juris Canonici historiam per octodecim ferme sæcula digestam ad quinque *chronologicas periodos*, sive status redigemus; adeo ut Juris Canonici statum veluti per ætates distinguamus: 1. alium *Primigenium*, sive *Arcanum*, dum Ecclesia persecutionibus undique quateretur, viguit-